

meminerisque ut mundus fias haec facias, et ne tertia manu scriptura tangatur.

38) cap. 15 p. 111. carmen mirum ad glandulas sic:  
 albula glandula,  
 nec doleas nec noceas,  
 nec paniculas facias,  
 sed liquescas tanquam salis (mica) in aqua!

hoc ter novies dicens spues ad terram et glandulas ipsas pollice et digito medicinali perduces, dum carmen dices, sed ante solis ortum et post occasum facies id, prout dies aut nox minuetur.

39) ibidem. glandulas mane carminabis, si dies minuetur, si nox, ad vesperam, et digito medicinali ac pollice continens eas dices:

novem glandulae sorores,  
 octo glandulae sorores,  
 septem glandulae sorores,  
 sex glandulae sorores,  
 quinque glandulae sorores,  
 quattuor glandulae sorores,  
 tres glandulae sorores,  
 duae glandulae sorores,  
 una glandula soror  
 novem fiunt glandulae,  
 octo fiunt glandulae,  
 septem fiunt glandulae,  
 sex fiunt glandulae,  
 quinque fiunt glandulae,  
 quattuor fiunt glandulae,  
 tres fiunt glandulae,  
 duae fiunt glandulae,  
 una fit glandula,  
 nulla fit glandula.

40) ibidem. ad ea quae faucibus inhaerebunt remedium; si os aut arista haeserit gulae, vel ipse cui acciderit vel alius confestim ad focum adcurrat et titionem verset, ita ut pars ejus, quae ardebat, forinsecus emineat, illa vero, quae igni carebat, flammae inseratur; convertens vero